



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta
Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ
Theologiæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

Et primo, vtrum omnis humana actio sit bona, vel aliqua sit mala.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72759](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72759)

- ¶ Quinto, vtrum aliqua actio hominis sit bona, uel mala in sua specie.
- ¶ Sexto, vtru actus hcat speciē boni, uel mali ex fine.
- ¶ Septimo, Vtrum species quæ est ex fine, contineatur sub specie, quæ ex obiecto, sicut sub genere, aut econuerso.
- ¶ Octauo, Vtrum sit aliquis actus iudifferens secundum suam speciem.
- ¶ Nono, Vtrum aliquis actus sit indifferens secundum indiuiduum.
- ¶ Decimo, Vtrum aliqua circumstantia constituat actum moralem in specie boni, uel mali.
- ¶ Undecimo, Vtrum omnis circumstantia augens bonitatem, uel malitiam, constituat actum moralem in specie boni, uel mali.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum omnis humana actio sit bona, uel aliqua mala.

Inf. ar. 2. co. & q. 73. ar. 7. ad 1. Et mal. q. 2. ar. 1. 2. & 3. & 5. co. cap. 4. par. 4. a medio.

Text. 20. to mo 3.

Ca. 4. par. 4. aliquantulum a prim.

q. 5. art. 3.

p. p. q. 5. ar. 1.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quod omnis actio hominis sit bona, & nulla sit mala. Dicit enim* Dio. 4. c. de diu. no. Quod malum non agit nisi uirtute boni: sed uirtute boni non sit malum. ergo nulla actio est mala.

¶ 2 Præ. Nihil agit, nisi secundum quod est actu: non est autem aliquid malum secundum quod est actu, sed secundum quod potentia priuatur actu. In quantum autem potentia perficitur per actu, est bonum, ut dicitur in 9. Metaph. Nihil ergo agit, in quantum est malum, sed solum in quantum est bonum. omnis ergo actio est bona, & nulla mala.

¶ 3 Præ. Malum non potest esse causa nisi per accidens, ut patet per* Diony. 4. ca. de diu. no. sed omnis actionis est aliquis per se effectus. nulla ergo actio est mala, sed omnis actio est bona.

SED CONTRA est, quod Dominus dicit Io. 3. Omnis qui male agit, odit lucem. est ergo aliqua actio hominis mala.

RESPON. Dicendum, quod de bono, & malo in actionibus oportet loqui, sicut de bono, & malo in rebus, eo quod unaquæque res talem actionem producit, qualis est ipsa. In rebus autem unumquodque tantum habet de bono, quantum habet de esse: bonum enim & ens conuertuntur, ut in primo* dictum est. Solum autem Deus habet totam plenitudinem sui esse secundum aliquid unum & simplex: unaquæque res uero habet plenitudinem essendi sibi conuenientem secundum diuersa. Vnde in aliquibus contingit, quod quantum ad aliquid habet esse, & tamen eis aliquid deficit ad plenitudinem essendi eis debitam, sicut ad plenitudinem esse humani requiritur, quod sit quidam compositum ex anima & corpore, habens omnes potentias & instrumenta cognitionis & motus. Vnde si aliquid horum deficiat, alicui homini, deficit ei aliquid de plenitudine sui esse. quantum igitur habet de esse, tantum habet de bonitate: in quantum uero aliquid ei deficit de plenitudine essendi, intantum deficit a bonitate, & dicitur malum, sicut homo cæcus habet de bonitate quod uiuit, & malum est ei quod caret uisu. Si uero nihil habet de entitate, uel bonitate, neque malum, neque bonum dici posset: sed quia de ratione boni est ipsa plenitudo essendi, si quidem alicui aliquid defuerit de debita essendi plenitudine, non dicitur simpliciter bonum, sed secundum quid, in quantum est ens: poterit tamen dici simpliciter, ens & sicut quod non ens, ut in primo* dictum est. sic igitur dicendum est, quod omnis actio in quantum habet aliquid de esse, intantum habet de bonitate: in quantum uero deficit ei aliquid

de plenitudine essendi, quæ debetur actioni humane, intantum deficit a bonitate: & sic dicitur mala: puta, si deficiat ei uel determinata quantitas secundum rationem, uel debitus locus, uel aliquid huiusmodi.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod malum agit in uirtute boni deficientis. Si enim nihil esset ibi de bono, neque esset ens, neque agere posset. Si autem non esset deficientis, non esset malum. unde & actio causata est quoddam bonum deficientis, quia secundum quid, est bonum: simpliciter autem, malum.

AD SECUNDVM dicendum, quod nihil prohibet aliquid esse secundum quid in actu, unde agere possit, & secundum aliud priuari actu, unde causet deficientem actionem, sicut homo cæcus actu habet uirtutem gressiuam per quam ambulare potest: sed in quantum caret uisu, qui dirigit in ambulando, patitur de factum in ambulando, dum ambulat respicendo.

AD TERTIUM dicendum, quod actio mala potest habere aliquem effectum per se, secundum id quod habet de bonitate & entitate: sicut adulterium est causa generationis humane, in quantum habet commistionem maris & femine, non autem in quantum caret ordine rationis.

ARTICVLVS II.

Vtrum actio hominis habeat bonitatem uel malitiam ex obiecto.

¶ Super quest. decima octaua Articulum secundum.

AD SECUNDVM sic proceditur. Videtur, quod actio non habeat bonitatem, uel malitiam ex obiecto. Obiectum enim actionis est res: in rebus autem non est malum, sed in usu peccantium, ut Aug. dicit in li. 3. de* doct. Christ. ergo actio humana non habet bonitatem, uel malitiam ex obiecto.

¶ 2 Præ. Obiectum comparatur ad actio nem ut materia: bonitas autem rei non est ex materia, sed magis ex forma quæ est actus: ergo bonum & malum non est in actibus ex obiecto.

¶ 3 Præ. Obiectum potest esse actiue comparatur ad actionem, sicut effectus ad causam: sed bonitas causæ non dependet ex effectu, sed magis e converso: ergo actio humana non habet bonitatem, uel malitiam ex obiecto.

SED CONTRA est, quod dicitur Osee 9. Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt. Fit autem homo Deo abominabilis propter malitiam suæ operationis: ergo malitia operationis est secundum obiecta mala, quæ homo diligit: & eadem ratio est de bonitate actionis.

RESPON. Dicendum, quod sicut dictum est, Bonum & malum actionis, sicut & ceterarum rerum, attribuitur ex plenitudine essendi, uel defectu ipsius. Primum autem quod ad plenitudinem essendi pertinere uis, est id quod dat rei speciem: sicut autem res naturalis habet speciem ex sua forma, ita actio habet speciem ex obiecto, sicut & motus ex termino. Et ideo sicut prima bonitas rei naturalis

Circa articulum secundum, quaestio nis eiusdem, omissio primo, aduerte primo, quod author quasi plus determinat, quam quæ fieri, non solum dicit, quod actus est bonus moraliter ex obiecto, sed quod habet bonitatem primam & specificam ab eo. Cum enim omnis quaestio sit quaestio media, ut patet secundum Posteriorum, optime responderi simul, quia est, & propter quod est actus bonus moraliter ex obiecto: quia scilicet est specificans primum. Aduerte secundo, quod licet in primo horum, scilicet, quod prima bonitas moralis in actu sit ex obiecto, sequatur Scotus authoris doctrinam, in secundo tamen horum dissentit in quo liber. quaestione decima octaua, articulo primo, putans quod determinatio ex obiecto, ita constituat bonitatem actus moralis, quod nullam specificam bonitatem det illi, sed capacitatem omnis bonitatis specificæ in genere moris: hæc quidem dicit, sed non probat: & tamen constat, quod amare Deum, & odium Dei, actus matrimonialis adu-

Inf. q. 102. l. 1. & 2. co. q. 21. ar. 2. & 3. co. ar. 5. co. c. 11. p. 1. p. 1. p. 1.

Inf. q. 45. l. 1. & 2. co. q. 21. ar. 2. & 3. co. ar. 5. co. c. 11. p. 1. p. 1. p. 1.

Inf. q. 45. l. 1. & 2. co. q. 21. ar. 2. & 3. co. ar. 5. co. c. 11. p. 1. p. 1. p. 1.